

ORACULA VIVÆ VOCIS.

1. Oracula vivæ vocis quid sint? — 2. Oracula vivæ vocis alia sunt authentica, et alia non, et quæ sint utraque? — 3. Oracula vivæ vocis authentica quomodo secernantur a non authenticis? — 4. Gratia et privilegia vivæ vocis oraculo concessa quo ad substantiam pro foro interno, sive sint authentica, sive non, dummodo non sint revocata, sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. — 5. Ad essentiam, et substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam oretenus, seu vivæ vocis oraculo concessum subsistit. — 6. Ut oracula vivæ vocis practicari possint etiam pro foro externo, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut illorum concessio probetur authentico testimonio. — 7. Omnia, et singula indulta, et privilegia quibuscunque vivæ vocis oraculo concessa a Summis Pontificibus ante Gregorium XV (exceptis concessis ad supplicationem regum, nec non illis manu cardinalium firmatis) revocavit pro utroque foro dictus Gregorius XV, et adducitur constitutio. — 8. Postea autem Urbanus VIII revocavit etiam omnia, et singula indulta et privilegia vivæ vocis oraculo concessa etiam ad instantiam imperatoris, et regum, et manu quorumcunque cardinalium firmata: et adducitur constitutio. — 9. Deinde idem Urbanus VIII justis de causis declaravit, prædictam suam revocationem non comprehendere illos officiales seu ministros, quibus rationem suorum officiorum, seu munerum de Summi Pontificis oraculis fides haberi solet, et debet. Et adducitur constitutio.

1. Oracula vivæ vocis sunt concessioniones privilegiorum, seu gratiæ factæ a supremo principe v. g. Summo Pontifice *sola voce*, seu oretenus sine scriptura. Ita in re communis. Oracula vivæ vocis alia sunt authentica, et alia non. (2. Oracula authentica sunt illa, quæ ne memoria pereant, et ut etiam pro foro externo probari et practicari possint, subinde in scripturam rediguntur, et testimonio authentico ab iis, quibus ex officio incumbit, fide digna redduntur. Oracula autem non authentica sunt illa, quæ vel neglectu impetrantium, vel alia de causa non sunt tali forma in scripturam redacta. *Communis*. (3. Hinc oracula vivæ vocis authentica, ut secernantur a non authenticis, solent in collectionibus privilegiorum, et oraculorum vivæ vocis, distincto et diverso signo notari, ut patet in *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum*, ubi oracula vivæ vocis authentica signantur *O magno*, et non authentica signantur *o parvo*, ut testatur auctor ipsius *Compendii* ad lectorem in declaratione abbreviatarum allegationum.

(4. Gratia, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa quoad substantiam pro foro interno, sive sint authentica, sive non, dummodo non sint revocata, sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. *Communis*, textu expresso in cap. *Institutionis* 7, *caus.* 23, qu. 2. Et sic expresse concessit nostro ordini Leo X, ut habetur in *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum* verb. *Oracula vivæ vocis*, num. 2, ibi: « Idem Leo concessit, quod non sint minoris efficacitæ et valoris vivæ vocis oracula, quam si per bullam, aut breve ad perpetuam rei memoriam essent concessa. »

— 10. Hinc omnia privilegia vivæ vocis oraculo a quocunque Pontifice concessa, et testificata per officiales, quibus vi sui officii de privilegiis et gratis per Pontifices oretenus concessis, vel concedendis fides adhiberi solet, adhuc impræsentiarum, valent pro utroque foro. — 11. Officiales seu ministri prædicti qui sint? — 12. Inter officiales seu ministros præfatos computantur, et revera sunt cardinales illi, qui ad id a Papa deputantur, vel protectores ordinum existunt. — 13. Hinc plurima adhuc impræsentiarum valent privilegia vivæ vocis oraculo concessa, utpote debite authenticata ab aliquo ex prædictis officialibus, vel S. R. E. cardinalibus, et qualia sint talia privilegia? — 14. Unde saltem pro foro interno valent adhuc hodie privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora Leonis X. — 15. Item eadem ratione adhuc hodie valent pro foro conscientie privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore S. Pii V. — 16. Adducitur, et solvitur instantia ex constitutione Gregorii XIII. — 17. Item adhuc hodie valent pro foro conscientie privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore Clementis VIII dummodo non adversentur concilio Trid. — 18. Item valent adhuc hodie omnia vivæ vocis oracula post Greg. XV et Urbanum VIII concessa. — 19. Ut autem vivæ vocis oracula post Urbanum VIII concessa valeant pro foro interno, quid requiritur? — 20. Apponitur Clementis XII const. quorundam revocatoria. — 21. Alia ad rem, ad n. 34.

(5. Ad essentiam enim, et substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam oretenus, seu vivæ vocis oraculo concessum subsistit. *Communis*, arg. cap. *Si quis cum clerico* 5, *caus.* 11, qu. 1, et cit. cap. *Institutionis* 7 *caus.* 23, qu. 2; Clementi *Dudum*, De sepulturis, et Extravag. *Etsi Dominici*, De pœnitent. et remission., ibi: « Considerans, quod plerumque contingit suam Sanctitatem hujusmodi facultates etiam oraculo vivæ vocis concedere, etc. »

(6. Notanter autem *supra* num. 4 dicitur pro foro interno, quia oracula vivæ vocis, ut practicari possint etiam pro foro externo, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut illorum concessio probetur authentico testimonio, ut patet ex constitutione Julii II incip. *Romani Pontificis*, et ex regula 52 cancellariæ; et ratio est, quia, si sine testimonio authentico valerent etiam pro foro externo, posset quilibet asserere se habere privilegium vivæ vocis oraculo concessum, et sic prætextu oraculi vivæ vocis posset cum maxima perturbatione boni communis eludere leges, et canones in foro externo, quod nemo sanæ mentis audebit admittere. *Communis*.

(7. Omnia, et singula indulta, et privilegia quibuscunque vivæ vocis oraculo concessa a Summis Pontificibus ante Gregorium XV (exceptis concessis ad supplicationem regum; necnon illis manu cardinalium firmatis,) revocavit pro utroque foro, scilicet tam pro foro interno, quam pro externo dictus Gregorius XV die 2 Jul. 1622, const. incip. *Romanus Pontifex*, quæ ad uberiores legentium notitiam hic ad litteram datur.

« GREGORIUS PAPA XV.

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina Providentia constitutus, gratias, et indulta a se, et prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

« § 1. Haque motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia et singula indulta, facultates, privilegia, gratias et concessioniones quascunque spirituales et Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quoad quocunque, et qualitercunque, et quavis etiam de necessitate exprimentanda causa, quibusvis collegiis, capitulis, ordinibus, tam mendicantium quam non mendicantium societatibus, etiam Societatis Jesu, ac congregat. quibuslibet, sive eorum et earum respective præpositis, decanis, magistris, ministris, prælati, prioribus, rectoribus, generalibus, vel provincialibus, quocunque nomine nuncupatis, superioribus, etiam quomodolibet exemptis ac sedi prædictæ immediate subiectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem regum concessa, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, et annullamus: ac revocata, cassata, sublata, abrogata, et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo fore, et esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, et specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, et declaramus.

« § 2. Firmis tamen, et in robore permanentibus omnibus indultis, et aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. cardinalibus, ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium manu firmatis pro ipsis, vel aliis factis, et de quibus iidem S. R. E. cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.

« § 3. Decernentes præsentibus litteris, et in eis contenta quocunque, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, et auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu aliquo quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quocunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere.

FEBR. V.

« § 4. Sicque per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« § 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ordinibus, societatibus et congregacionibus prædictis, eorumque præpositis, decanis, magistris, ministris, prælati, prioribus, rectoribus et aliis superioribus prædictis, sub quibuscunque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, et extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« § 7. Quodque eadem præsentibus litterarum, seu illarum exempla ad valvas basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, et in acie campi Floræ affixæ omnes ita aretenti, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda Julii MDCXXII, pontificatus nostri anno secundo. »

(8. Postea autem Urbanus VIII, die 20 Decembris 1631, Constit. incip. *Alias felix recordationis Gregorius Papa XV* revocavit etiam omnia, et singula indulta, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa, etiam ad instantiam imperatoris et regum, et manu quorumcunque cardinalium firmata. Quæ constitutio etiam hic pro omnium scitu ad litteram datur:

« URBANUS PAPA VIII.

« Ad perpetuam rei memoriam.

« § 1. Alias felix recordationis Gregorius Papa XV prædecessor noster, ut subnascantibus jugiter variis difficultatibus, et abusibus ex privilegiis a Sede Apostolica

49

vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet: « Gregorius Papa XV « ad perpetuam rei memoriam. Romanus « Pontifex in specula militantis Ecclesiæ, » etc., ut supra.

« § 2. Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, concessionem, et gratias vivæ vocis oraculo, etiam a san. R. E. cardinalibus obtentas, et ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, et perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari. Idcirco, quantum cum Domino possumus, his et aliis malis occurrere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, et de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium hujusmodi mature discutiendum commisimus, omnia, et singula privilegia, facultates, licentias, et gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, et S. R. E. prædictæ cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscunque generalibus, provincialibus, cæterisque superioribus et personis cujusvis ordinis, congregationis, instituti et societatis, sive sæcularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus clericis seu presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam imperatoris, regum et principum quorumcunque, aut alias quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus et annullamus, ac de cætero revocata, cassata, abrogata, et annullata, viribusque et effectu vacua esse, et fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus.

« § 3. Præterea, ut præsentibus litteræ omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, quanto citius innotescant, omnibus, et singulis generalibus, et aliis quocunque nomine nuncupatis superioribus quorumcunque ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Jesu et institutorum, sub excommunicationis ac privationis officiorum et dignitatum, nec non vocis activæ et passivæ pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus et mandamus, ut infra tres menses proximos a die publicationis præsentium computandos, omnes et singulos provinciales eorumdem suorum ordinum, congregationum, societatum, etiam Societatis Jesu, et institutorum, de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, et earundem præsentium exemplaria illis transmittant: qui quidem provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis superioribus monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum, et locorum regularium præ-

cipere, ut easdem præsentibus subditis suis, et moris est, publicent.

« § 4. Decernentes præsentibus litteras, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos juris reduci, sive adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

« § 5. Sicque per quoscunque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et defini debere, ac irritum, et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

« § 6. Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, eisdem cardinalibus, ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, eorumque superioribus quocunque nomine nuncupatis, sub quibuscunque verborum formis, et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 7. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eadem præsentibus litteræ, sive illarum exempla ad valvas basilicarum prædictarum, et in acie campi Floræ hujusmodi similiter affixæ, omnes, quos concernunt, perinde arceant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

« Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 20 Decembris 1651, pontificatus nostri anno nono. »

(9. Deinde idem Urbanus VIII, die 11 April. 1635, constituit. etiam incip. *Alias felicis re-*

cordationis Gregorius Papa XV, justis de causis declaravit, prædictam suam revocationem non comprehendere illos officiales, seu ministros, quibus ratione suorum officiorum, seu munerum de Summi Pontificis oraculis fides haberi solet, et debet; quæ constitutio, utpote summe necessaria ad hujus notitiæ complementum, etiam hic ad litteram datur.

« URBANUS PAPA VIII.

« Ad futuram rei memoriam.

« Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV, prædecessor noster, ut subnascentibus, jugiter variis difficultatibus, et abusibus ex privilegiis a Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet: « Gregorius Papa « XV, ad perpetuam rei memoriam. Romanus « Pontifex in specula militantis Ecclesiæ, divina Providentia constitutus, gratias, et indulgentia a se, et prædecessoribus suis concessa, justis interdem suadentibus causis, « juxta creditum sibi pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, et temporum qualitatibus debite pensatis, « conspicit in Domino salubriter expedire. « Itaque motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque « Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia « et singula indulta, facultates, privilegia, « gratias, et concessionem quascunque spirituales et Ecclesiasticas, tam ad forum « interius, quam ad exterius spectantes, ac « tam ad applicationem partium, quam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo, hactenus, quandoeunque, et qualitercunque, ex quavis etiam « necessitate exprimenda causa, quibusvis « collegiis, capitulis, ordinibus, tam mendicantium quam non mendicantium, societatibus, etiam Societati Jesu, ac congregationibus quibuslibet, sive eorum et earum respective præpositis, decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus, generalibus, vel provincialibus quocunque nomine nuncupatis, superioribus, quomodolibet exemptis, ac sedi prædictæ immediate subjectis, cujuscunque dignitatis, præminentis, aut quovis privilegio munitis: non tamen ad supplementationem regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, et annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo fore, et esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa et specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis faciendæ esset, decernimus, et declaramus. Firmis tamen, et in suo robore permanentibus omnibus indultis, et aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. cardinalibus, ad ipsorum, vel aliorum quo-

« rumcunque favorem propria S. R. E. cardinalium manu firmatis, vel aliis factis, et « de quibus iidem S. R. E. cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Decernentes præsentibus litteras, et in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, « seu habere prætendentes, ad hoc vocati, « et auditi non fuerint, de subreptionis, « vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari, « impugnari, redargui, in jus, vel in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, « aut adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, et « efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere. « Sicque per quoscunque iudices ordinarios, « et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam « de latere legatos et nuntios, sublata eis, « et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, « et interpretandi facultate, et auctoritate, « judicari, et defini debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, « quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus « præmissis, ac quibusvis constitutionibus « et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis, ordinibus et societatibus, et congregationibus prædictis, eorumque præpositis, decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus et aliis superioribus prædictis, sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, « ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, « eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, « tenores hujusmodi præsentibus pro plene, « et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hæc vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, et extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eadem præsentibus litteræ, seu illarum exempla ad valvas basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis apostolorum de Urbe, et in acie campi Floræ affixæ, omnes ita arceant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die secunda Julii MDCXXII, pontificatus nostri anno secundo. »

« Et subinde per Nos accepto, quod experientia rerum magistra compertum erat, concessionibus et gratiis vivæ vocis oraculo, etiam a S. R. E. cardinalibus obtentas et ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonice interpretatione extendi, et perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari, idcirco, quantum cum Domino potuimus, his et aliis malis occurrere volentes, motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium hujusmodi matura discutiendum commisimus, omnia, et singula privilegia, facultates, licentias, et gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per Nos vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. prædictæ cardinalium quorumcunque generalibus, provincialibus, cæterisque superioribus, et personis cujusvis ordinis, congregationis, instituti et societatis, sive sæcularibus, sive regularibus, vel etiam ipsis ordinibus, congregationibus, institutis et societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus clericis, seu presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, et contemplatione, seu ad instantiam imperatoris, regum et principum quorumcunque, aut alias quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes Apostolica auctoritate revocavimus, cassavimus, sustulimus, abrogavimus, et annullavimus, ac de cætero, revocata, cassata, sublata, abrogata, et annullata, viribusque, et effectu vacua esse, et fore, nullique deinceps suffragari posse, nec debere declaravimus, prout in aliis nostris desuper in simili forma breviter expeditis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, et Sedis Apostolicæ officialibus, seu ministris, qui eorum officiorum, seu munerum ratione de gratiis, concessionibus, et dispositionibus quibuscunque per Nos faciendis, mandatisque, et jussionibus nostris exsequendis, aliisque rebus et negotiis gerendis, Nobiscum diversa tractant per se, seu de eorum mandato faciendâ, gerendâ, et executioni demandandâ, vivæ vocis oraculo commiserimus, et in dies circa ea, quæ ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus. Nos firmiori gestorum de mandato nostro, per præsentibus litteras, officialium seu ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, officiales, seu ministros prædictos, quibus alias ante emanatas prædictas constitutiones ex officiorum auctoritate, et

prærogativa de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat, quoad ea, quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam nostris prædictis super revocatione oraculorum hujusmodi emanatis, minime comprehensus fuisse, nec esse, nec comprehendere debere declaramus, et ad abundantiorum cautelam eosdem officiales, seu ministros adversus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, et plenarie reintegramus in omnibus, et per omnia, perinde ac si quoad illos prædictæ constitutiones non emanassent; decernentes præsentibus litteras validas, firmas, et efficaces existere, et fore, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Gregorii prædecessoris hujusmodi, nostrisque litteris præfatis, ac omnibus quæ in dictis litteris concessa sunt non obstante, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 11 Aprilis 1633, pontificatus nostri anno duodecimo. »

(10. Unde, ut vides, ex hac secunda constitutione Urbani VIII, § *Cum autem pro tempore existentibus*, clare patet, quod omnia illa indulta et privilegia vivæ vocis oraculo a quocunque Pontifice concessa, et testificata seu authenticata per officiales, et ministros, quibus vi sui officii, de privilegiis, et gratiis per Pontifices ore tenus concessis, vel concedendis, fides adhiberi solet, et debet, adhuc impræsentiarum valent pro utroque foro, scilicet tam interno, quam externo, valideque et licite praticari possunt: communis ac certa, teste Reiffenstuel lib. v *Decretal.*, tit. 33, n. 155.

(11. Officiales autem, seu ministri prædicti sunt multi, et diversi, ut patet in Extravagant. commun. *Ad regimen 13*, De præbendis et dignitatibus, ibi: « Officialium dictæ Sedis, videlicet, camerarii, vicecancellarii, notariorum, auditorum, litterarum contradictarum, et Apostolici Palatii causarum auditorum, correctorum, et scrip'torum litterarum Apostolicarum, ac penitentiarii præfate Sedis, ac abbreviatorum, nec non commensalium, et aliorum quorumlibet capellanorum Sedis ejusdem; et etiam quorumcunque legatorum, sive nuntiorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ rectorum, et thesaurariorum, etc. »

(12. Inter officiales, seu ministros præfatos computantur et revera sunt cardinales illi, qui ad id a Papa deputantur, vel protectores ordinum existunt; quia quamvis in d. cap. *Ad regimen* non numerentur inter officiales Papæ et Sedis Apostolicæ, tamen in religiones sibi commissas jurisdictionem, curam et vigilantiam exercent tanquam ministri Papæ, qui est omnium religionum generalissimus, et administrator, et gubernator, et rector; unde est ipsis omnino credendum in iis quæ testantur de religionibus, quas protegent, ut recte ex cit. constitutione Urbani VIII, sub n. 9 allata colligit, et do-

cent Peyrinus, in *Formul. prælator. regular.*, litt. Z, cap. 3, et Appendice 4 ad Urbanum VIII, num. 2, fol. 726; Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. I, tract. 16, qu. 12, num. 1; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 157, et alii passim.

(13. Hinc plurima adhuc in præsentiarum valent privilegia vivæ vocis oraculo concessa, utpote debite authenticata ab aliquo ex supradictis officialibus, seu ministris, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, juxta dictam constitutionem Urbani VIII. Et talia sunt omnia illa, quæ in *Compendio privilegiorum Fratrum Minorum* a Hieronymo a Sorbo juxta decreta concilii Tridentini, et alias constitutiones Pontificias reformata, comprehenduntur, et signantur O magno; quia privilegia tali O magno signata, ut fuit dictum supra sub n. 3, « sunt vivæ vocis oracula vere authentica, » sicut sunt illa signata æquivalenti signo in libris privilegiorum aliorum ordinum. Et vivæ vocis oracula authenticata per supradictos officiales et ministros Papæ et Sedis Apostolicæ non sunt revocata: ut expresse declarat Urbanus VIII in supra num. 9, adducta sua secunda constitutione, § *Cum autem pro tempore existentibus*.

(14. Unde saltem pro foro interno valent adhuc hodie privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora Leonis X, vel tempore, quia dictus Leo X concessit, quod « Fratres Minores regularis observantiæ secunda conscientia possint uti omnibus a Sede Apostolica, sive per bullas, sive per brevias, sive vivæ vocis oraculo concessis privilegiis, prout ea in libris ordinis reperiuntur, ac si omnia specificè fuissent tunc expressa. Et quod hujusmodi vivæ vocis oracula non sint minoris efficacitæ ac valoris, quam si per bullam aut breve ad perpetuam rei memoriam essent concessa: » prout testatur Laurentius presbyter cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum, et protector dicti ordinis Minorum, et habetur in I tom. *Collect. Bullar.* Rodrig., in fine Bull. Leonis X, fol. 1317 et in *Supplement. ejusdem ordinis concess. ibi*, fol. 58, de quo idem Rodrig., tom. I *Qq. regul.*, q. 7, art. 5, et tom. III, qu. 22, art. 1 et 2, et habetur etiam in *Compendio privilegiorum ordinis Minor.*, verb. *Oracula vivæ vocis*, num. 1 et 2, ubi num. 1 insuper additur, quod « pro majori conscientiarum securitate omnia de novo concessit vivæ vocis oracula vere authentica. » Atqui vivæ vocis oracula vere authentica, (ut sunt ista, utpote testificata a supradicto eminentissimo cardinali Laurentio, tunc ordinis protectore) non sunt revocata, ut expresse declarat Urbanus VIII, in dicta sua secunda constitutione allata supra sub n. 9, ergo adhuc hodie vigent.

(15. Item eadem ratione adhuc hodie valent pro foro conscientie privilegia vivæ vocis oraculo concessa ante tempora, vel tempore S. Pii V, quia d. S. Pius V, die 13 Martii 1566, vivæ vocis oraculo confirmavit privilegia ordinis Minorum pro foro conscientie, etiam illa, quæ sunt contra concilium Tridentinum, cujus copia authentica

est in archivio conventus S. Joannis regum ordinis Prædicatorum, prout in *Compendio Societatis Jesu*, tit. *De concil. Trident.*, § 3, et Rodrig., tom. I *Qq. regul.*, q. 8, art. 8, et habetur in tom. II *Collect. Bull.*; Rodrig., in fine *Oraculorum S. Pii V*, fol. 428, num. 13, et sub anno 1567, const. incip. *Etsi mendicantium*; et alia incip. *Ad uberes* multa expresse concessit suo præclarissimo ordini prædicatorum, quæ decretis concilii Tridentini adversantur.

(16. Nec obstat quod Gregorius XIII immediatus successor S. Pii V, anno 1572, const. incip. *In tanta rerum et negotiorum mole* revocaverit expresse omnia privilegia a d. S. Pio V concessa contra concilium Tridentinum, et ad terminos ejusdem concilii Tridentini reducerit, ibique statuerit, regulares teneri stare decretis conc. Tridentini et juri veteri, ac si dictæ concessionibus, et constitutionibus S. Pii V nunquam emanassent; non obstat, inquam, quia Gregorius XIII in d. sua constitutione non revocat privilegia concessa regularibus pro foro interno; revocat enim ibi sola illa privilegia regularibus concessa contra dispositionem concilii Tridentini; ex quibus perturbatio inter episcopos et mendicantes solet oriri; quandoquidem in præfata constitutione, ubi causa finalis exprimitur, sic præcise legitur: « Demum animadverto quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes, et lites inter prædictos Locorum ordinarios, et Fratrum ipsorum ordines non sine gravi divini cultus, et animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverant. » Usus autem privilegiorum Mendicantium in foro conscientie exercitus, nec magnam, nec parvam litem inter prædictos poterit excitare; quod est mente valde tenendum, ut recte dicit Donatus infra citandus, quia causa finalis est illa, quæ stringit et ampliat privilegia, cum ratio legis sit anima legis: I. *Cum ratio*, ff. *De bonis damnatorum*; et cessante ratione et causa legis, cessat ipsa lex: I. *Adigere 6*, § 2, ff. *De jure patronat.*; et cessante causa cesset effectus: c. *Cum cessante 60*, De appellationibus. Sic sapientissimus Donatus, *Prax. rerum regular.*, tom. I, tract. 11, q. 17, num. 19, et alii plures; tum quia in d. constit. Greg. XIII, nulatenus nominantur oracula, unde ad ista non debet extendi, cum, uti pœnalis, non debeat extendi ad non expressa; quia, si voluisset, expressisset; quod enim voluit, expressit, arg. c. *Inter corporalia 2*, De translation. episcop. § *Sed neque istud*, et cap. *Quia circa 22*, De privilegiis; et cap. *ad Audientiam 12*, De decimis; et uti odiosa debet restringi, ne minus lædat, juxta regulam in cap. *Odia 13*, De regul. juris in 6, et cap. *Olim 16*, De verbor. significat.; et l. *Beneficium 3*, ff. *De constitutionibus principum*. Oracula enim favore animæ concessa, revocatis privilegiis, non intelliguntur revocata, nisi in specie, et expresse revocentur, prout docent Innocent. in cap. *Constitutus*,